

— Atque ad hunc modum reducitur amissio privilegii sub conditione concessi : nam cessante conditione, cessabit, ut sumitur ex Cov., 1 Variar., cap. 15 ; et Molina, tom. 2 de Justit., disp. 198. Ratio vero est, quia tale privilegium virtute continet, in concessione sua, temporis et durationis terminum præfinitum, non quidem fixum et certum, sed per comparisonem ad conditionem, scilicet, ut tamdiu duret quamdiu conditio duraverit ; talis voluntas concedentis per adjunctam conditionem significatur, et ideo solum confert privilegio durationem proportionatam : tale ergo privilegium ideo perditur, ablata conditione, quia finitum est tempus pro quo fuit concessum, et ita hic modus amissionis sub prædicto membro continetur. Ex ratione autem facta, constat necessarium esse ut conditio sit appositæ, non solum ad fieri, sed etiam ad conservationem privilegii. Certum est enim utroque modo adjungi posse, et positam tantum pro fieri non sufficere, ut ad mutationem ejus mutetur privilegium, quia tunc privilegium non pendet in conservari a conditione, sed tantum in fieri, seu non est conditionatum quoad perseverantiam, sed solum quoad productionem, et ideo impleta conditione in ipso fieri, postea manet privilegium omnino absolutum, et ideo non perditur mutata conditione. Exemplo res declaratur ; nam si Papa concedat alicui monasterio privilegium non solvendi decimas si Episcopus semel consenserit, et Episcopus semel consentiat, acquiritur privilegium, nec erit in potestate Episcopi revocare illud, quia illud non donavit, sed Papa ; et licet Episcopus postea dissentiat, non amittitur ; quia non fuit ejus consensus requisitus ut conditio perpetua, sed solum ad valorem concessionis ; secus vero esset si in privilegio diceretur : Quamdiu Episcopus consenserit ; vel si conditio poneretur, non ex parte privilegii, sed ex parte actus, seu usus ejus. Ut si diceretur : Concedimus tibi ut possis non solvere decimas, non resistente Episcopo, vel, ut possis concionari consentiente Episcopo : tunc enim cessaret privilegium, cessante conditione : tunc autem non omnino amitteretur privilegium in se, sed solum quoad usum pro illo actu : nam postea iterum consentiente Episcopo, posset quis uti tali privilegio ; quia conditio non fuit appositæ pro ipso privilegio in se, sed tantum pro usu. Et ideo modus conditionis ex tenore privilegii diligenter ponderandus est.

6. *Dictus modus amplius declaratur ex parte*

status. — Præterea ad hoc membrum reducuntur amissiones privilegiorum, quæ continentur per mutationem status, vel alicujus vinculi a quo talia privilegia pendebant tanquam a conditione necessaria, saltem virtuali, seu generali, et ideo desinunt esse desinente conditione, et ita omnia illa habent certum terminum durationis in concessione præfixum, non in particulari definitum, sed per comparisonem ad alium terminum, seu conditionem. Sic novitius religionis, dimisso habitu religionis, amittit privilegia quibus in probatione gaudebat, quia solum fuerunt concessa sub illa conditione, seu durante illo vivendi modo. Sic etiam religiosus, mutata professione, amittit privilegia prioris religionis, ut illius sunt, et a fortiori si possit transire a statu religioso ad non religiosum, vel per dispensationem, vel alio modo, amittit privilegia omnia religiosi, quia statui, seu ratione status potissime conceduntur, atque adeo dependentur ab illa conditione. Et eadem ratione familiaris religionis intra illam habitans, mutando habitationem, amittit privilegia quæ per religionem communicabantur quasi sub conditione illius unionis cum illa, juxta regulam traditam a Bald. in l. 4, c. de Episc. et cler., n. 5 : Quotiescumque, videlicet, unus gaudet privilegio propter unionem cum alio cui principaliter concessum est, et in quo solo ratio concessionis invenitur, tunc dissoluta unione, et a fortiori interveniente morte privilegiarii, consequenter amittere privilegium alterum vel alios quibus per talem communicationem privilegium conceditur. Fundamentum hujus regulæ est, quia respectu aliorum concessio illa est virtualiter conditionata et temporalis, scilicet, quamdiu ille vixerit, vel quamdiu duraverit umbra illius, vel conjunctio cum illo, ut sic dicam. Et hoc modo diximus, supra, aliquibus privilegiis gaudere uxorem ratione mariti, vivente illo, et filios vivente patre, quibus non gaudent mortuo patre, vel etiam vivente, si amisit privilegium. Hoc autem non est universale, ut ibi dixi, et ideo regula Baldi intelligenda est regulariter, seu ubi neque ex verbis privilegii, neque ex alio jure constat majorem fieri communicationem, ut ibidem explicuimus.

7. *An per unum actum amittatur privilegium.* — Tandem ad hunc primum modum amittendi privilegium pertinet ordinarium dubium : an privilegium amittatur per unum actum utendi illo. Quod attingit Navar. in

c. *Placuit*, de Pœnit., d. 6, n. 166 ; et Panorm. in c. 2 de Treug. et pace ; et ibi Felin. late ; et ex illis colligi videtur hæc regula : Odiosa privilegia quæ ad lites dantur, finiri per unum actum consummatum, favorabilia autem non amitti, etiam finito tali actu vel usu. Favet Bart. in l. ult., ff. de Const. princ., n. 6, dicens privilegium ad agendum in judicio durare durante judicio, et illo finito finiri ; aliique addunt privilegium ad excipiendum non ita finiri, sed esse perpetuum, et sumitur ex Gloss. in l. *Falso*, c. de Divers. rescrip., verb. *Præmia*, ubi ait, privilegium ad excipiendum esse perpetuum. Latius tradit Panorm. in c. *Cum accessissent*, de Const., n. 6. Ratio autem esse videtur, quia privilegium ad agendum odiosum est, quia est contra alium ; ad excipiendum vero est favorabile, quia est ad propriam defensionem.

8. *Resolutio dubii.* — Sed dicendum censeo resolutionem propositi dubii non pendere, per se loquendo, ex eo quod privilegium sit favorabile vel odiosum, sed ex forma concessionis et vi verborum ejus. Nam si privilegium detur tantum ad unum actum, illo finito, finitur privilegium, sive sit in materia odiosa, sive favorabili, sive sit rescriptum ad litem, sive ad electionem, sive ad indulgentiam ; in quacumque enim materia potest tantum ad unum actum dari pro arbitrio concedentis. Unde propter eandem causam idem erit in rescripto ad lites, etiamsi sit ad excipiendum, quia etiam illud potest dari ad unum tantum actum ; quid enim repugnat ? E contrario vero, si privilegium detur indefinite ad aliquam speciem actuum, vel si detur per modum potestatis ad aliquid agendum absolute, ut ad eligendum confessorem, ad audiendas confessiones, etc., tale privilegium non finitur per unum actum, quia de se est universale, ut supra ostensum est ; imo de se perpetuum donec revocetur, si temporis limitatio in eo non addatur.

9. *Optima regula, ad dignoscendum an privilegium amittit suas vires, est forma concessionis.* — Hoc autem modo potest dari privilegium tam in materia odiosa quam in favorabili, quia hoc etiam pendet ex arbitrio concedentis, et consequenter in utraque materia non finitur privilegium per unum actum, nec per plures, nisi definiantur in ipso rescripto. Igitur materia favorabilis vel odiosa poterit deservire ad restringenda vel amplianda verba rescripti, et interpretandum dari ad hos vel illos actus seu effectus, juxta superius

VI.

dicta. Proxima vero et per se regula, est forma concessionis, an sit definita ad unum actum, vel ad certum numerum actuum, necne. Quod primo et præcipue ex verborum proprietate colligendum est : quando enim datur ad solum unum actum, addi solet, semel in vita, vel in morte, vel in anno, aut pro hac vice duntaxat, vel ad talem effectum, vel quidpiam simile. Quando vero hoc non additur, regulare est ut latius detur, nisi ex supplicatione facta, vel ex qualitate materiæ, vel aliis circumstantiis contrarium satis constet. Intellecta autem mente concedentis, scilicet, quod fuerit solum concedere privilegium ad unum actum, verissimum est illo facto extingui privilegium, et idem erit de duobus, et quolibet alio certo numero. Tunc autem dico modum hunc definiendi privilegii coincidere cum illo qui est per lapsum temporis in privilegio designati : nam licet ibi non determinetur certa mensura temporis absolute, designatur tamen quasi sub conditione, scilicet, statim ac fuerit actus perfectus. Interdum vero solet designari ut actus intra tale seu tantum tempus faciendus sit, et tunc finito tempore finitur privilegium, etiamsi actus factus non sit, quia sub illa conditione et mensura fuit datum, ut tradit Bart. supra, et procedit per se loquendo ; an vero limitandum hoc sit, quando per accidens impedimentum intercessit, ut voluit Jason. in l. 2, c. de Divers. rescrip., dicemus in sequentibus.

CAPUT XXX.

UTRUM, CESSANTE CAUSA FINALI PRIVILEGII, CESSET PRIVILEGIUM ET EXTINGUATUR.

1. *Causa finalis privilegii, quomodo in jure sit intelligenda.* — Secundus modus quo finitur privilegium quasi ab intrinseco est, cessante causa finali ejus, juxta regulam juris : *Cessante causa, cessat effectus*, c. *Cum cessante*, de Appellat., l. *Adigere*, § *Quamvis*, ff. de Jur. patronat. Sumitur autem hic causa finalis proprie et rigorose, prout a juristis distinguitur a causa impulsiva, quæ solum secundario et per occasionem movet ; causa autem finalis hic dicitur quæ est propria et principalis causa dans sufficientem rationem concedendi privilegium, atque ita reddens illud justum et honestum, ut sine illa tale non esset. Et sic explicata assertio communis est, ut constat ex Panorm., in cap. *Suggestum*, de Decim., num. 5, et in cap. *Reco-*

23

lentes, de Stat. Monach., num. 1, in fine; Felin., in cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de Constitut., num. 29; Bald., in leg. *Generaliter*, c. de Episcop. et cler., n. 5; Tiraq. in tract. *Cessant. caus.*, in princip., n. 19, et a n. 210 usque ad 220, et tota limit. 2; Covar., lib. 1 Variar., cap. 20; Gutier., lib. 2 Canoniar. quæst., cap. 15, num. 30; Barbos. in l. 1, ff. Solut. matrim., p. 1, a n. 83; et Sanc., lib. 8 de Matrim., disput. 30, n. 14. Probaturque ex c. *Abbate*, in fine, de Verbor. signif., ubi id expendit Glossa, ex cap. *Generaliter*, 6, quæst. 1, verb. *Non devagantes*, et cap. *Tue*, de Cler. non resid., et ex leg. *Ex pacto*, in princ., ff. de Vulgar. et pupil. Ratio vero est, quia valor privilegii pendet a tali causa in fieri et conservari; sicut enim non posset concedi nisi justum esset, quando concedebatur, ita nec potest durare, nisi usus ejus sit justus: quæ ratio ex sequentibus animadversionibus elucidabitur.

2. *In quo privilegio locum habet dicta doctrina.*—Primo ergo advertimus hunc modum desitionis non habere locum in privilegio, quod non derogat juri, sive communi, sive alterius tertii, sed est mera gratia et beneficium principis. Quia ut tale privilegium rite et licite concedatur, vel non requirit causam (ut aliqui volunt), vel licet illam requirat, ut honeste et prudenter concedatur (sicut nos diximus), postquam semel facta est concessio, jam non amplius requiritur talis causa, quia solum fuit necessaria respectu voluntatis principis, ut honeste moveretur; voluntas autem principis simpliciter contulit beneficium, et ad hoc habuit legitimam causam, et ideo beneficium permanet, etiamsi causa cessaverit. Decet enim beneficium principis esse mansurum, ut in regula juris dicitur, quod maxime locum habet in beneficio mero et favorabili, quod sine conditione et absolute fit; sicut eleemosyna facta pauperi rata manet, etiamsi desinat esse pauper, et donatio facta amico semper durat, etiamsi amicitia cesset. Unde fit, ad hanc privilegii amissionem non sufficere ut sit talis mutatio causæ quæ mutasset voluntatem principis, si tunc operatura esset, id est, quia, cessante tali causa eo tempore quo concessit privilegium, forte non concederet, vel quia, si nunc concessurus esset privilegium, secundum præsentem statum rerum non faceret: nam hæc conditio non variat priorem voluntatem, quæ absoluta et efficax fuit, ut in simili dixi in materia de Voto.

3. *Privilegium derogans juri communi vel*

alicujus duplex.—Hinc præterea colligo et adverto privilegium rigorosum derogans juri communi, vel alicujus, duplex esse posse: unum est, quod uno actu consummatur, vel perficitur, quia vel solum est per modum unius actionis, vel ad summum per modum potestatis ad unum actum: aliud est, quod habet tractum successivum, quia datur per modum potestatis ad successive operandum, vel omittendum. In priori ergo genere privilegiorum, si privilegium jam habuit consummatum effectum, non habet locum hic modus cessationis, seu desitionis; quia, consummato effectu, jam privilegium non est, sed transit, juxta proxime dicta in præcedenti puncto: ergo non est quod possit desinere cessante causa. Dices: potest retractari effectus, qui per privilegium factus fuerat. Sed contra; quia aliud est privilegium, aliud effectus privilegii, ut constat, et non ita pendet effectus a causa privilegii, sicut privilegium ipsum; quia privilegium pendet a sua causa propria, et per se; effectus vero solum remote et per accidens quatenus ad esse privilegii necessaria fuit illa causa; ergo non cessat effectus jam factus, licet causa privilegii cesset. Et confirmatur, primo, quia si usus privilegii consideretur ut est actus præteritus, irrevocabilis est; si vero spectetur effectus quem reliquit, jam est in illo jus acquisitum, et in eo talis est facta mutatio, ut non pendeat ex causa privilegii.

4. Confirmatur secundo, quia si privilegium consistat in unica tantum actione quam princeps per se facit, ut est habitare personam, legitimare, nobilitare, etc.; tale privilegium potius habet rationem cujusdam dispensationis: dispensatio autem postquam habuit consummatum effectum, non retractatur quoad effectum, etiamsi causa mutetur, quia factum legitime non retractatur, quamvis postea deveniat ad statum in quo non possit inchoari, ut est regula 37 juris, in 6, et tradit late Tiraquel., dicto tractat., limit. 12; et Menoch., de Præsumpt., l. 4, præsumpt. 189, n. 196. Et patet in dispensatione voti: nam semel facta, non redit votum, etiamsi causa mutetur, et idem est in similibus; ergo idem est de privilegio quod in una tantum actione principis consistit. Et consequenter idem erit in privilegio dante potestatem ad unum actum, quando jam operatum est perfecte ac integre suum actum, quia tunc etiam se habet ut dispensatio consummata. Quod si privilegiarius fortasse nondum fecit actum, quantum ad illum habet privilegium tractum

successivum, et non comprehenditur sub prædicta regula. Imo hinc etiam intelligitur quod, licet privilegium det potestatem generalem, et habeat tractum successivum in variis actibus, si aliquos actus operatum est, non habet locum cessatio, cessante causa, quoad illos effectus, quia de illis est eadem ratio, nec esset jam cessatio, sed retractatio actus perfecti et consummati. Igitur assertio posita intelligenda est de privilegio habente tractum successivum, et prout respicit usum futurum, sic enim cessare dicitur cessante causa. Et ita diserte explicuit Panorm., quem Tiraq. imitatur, et eadem est mens aliorum quos supra Menoch. refert.

5. *Objectio.*—*Responsio.*—Objici vero potest l. *Ex pacto*, ff. de Vulg. et pup., ubi privilegium datum ad substituendum pro filio amente, non solum dicitur cessare, cessante causa, quoad futurum usum, sed etiam retractari quoad jam factum. Quia filio amente ad mentem restituto, dicitur evanescere substitutio jam facta, et redditur ratio, quia *iniquum incipit esse privilegium principis, si adhuc id valere dicamus; aufert enim testamenti factionem homini sanæ mentis*; ubi doctores advertunt effectum illum revocari, quia revocabilis erat, et perseverantia ejus fuisset injusta. Respondetur primo, illum effectum non fuisse plene consummatum, quia semper erat in fieri, et pendens ab eventu futuro: nondum enim substitutus successerat, et substitutio includebat eandem conditionem, quam privilegium, scilicet, nisi filius habere posset hæredem. Unde dicitur, secundo et clarius, privilegium illud, ut esset justum, a principio fuisse concessum sine præjudicio tertii, et ideo non fuisse substitutionem omnino absolutam, sed quasi sub conditione vel præsuppositione amentie filii et impotentie ad testandum, ac subinde, cessante illa conditione, non proprie retractatur effectus privilegii jam factus, sed per se desinit et irritatur, propter conditionem non impletam, quia non fuit absoluta substitutio, sed sub conditione amentie, utique usque ad mortem, seu durantis usque ad effectum decessendi sine testamento ratione illius.

6. *Cessatio causæ contrarie necessaria est ut cesset privilegium.*—*Cessare negative quid sit, et quid contrarie.*—Tertio, hinc advertito necessarium esse ut causa cesset, non tantum negative, sed etiam contrarie, ut, ea cessante, cesset privilegium habens tractum successivum etiam quoad futuros actus. De-

claratur ratione, explicando terminos, tunc enim dico causam privilegii cessare negative, quando ratio, quæ induxit principem ad concedendum privilegium, jam non subsistit, nihilominus tamen usus privilegii non est injustus, nec per se contra aliquam virtutem, ut contingit sæpe, et statim declarabitur exemplis adductis. Contrarie autem dico cessasse causam privilegii, quando usus privilegii, propter mutationem materie vel circumstantiarum, factus est injustus, vel iniquus, ut, verbi gratia, si monasterio applicata esset aliqua pars decimarum alicujus Ecclesie, quia tempore concessionis ex reliquo poterat Ecclesia sufficienter sustentari et provideri, postea vero mutatis rebus non possit sustentari si in tota illa parte decimarum defraudetur, tunc cessat causa privilegii, et consequenter cessat privilegium. Hinc ergo facilis est ratio assertionis sic declarata, quia privilegium de re illicita nullum est; ergo privilegium cujus usus factus est illicitus factum est nullum, quia quoad hoc eadem est ratio de conservatione quæ de inceptioe, quia neutro modo potest dari licentia ad illicitum perpetrandum. Sicque habet hic locum principium juris: *Quod pervenit ad statum in quo incipere non posset, in eo remanere non potest*, l. *Uranus*, 71, § *Sed cum duo*, ff. de Fidejuss., ubi Glossa, fere æquivalentibus verbis ait: *Quod impedit faciendum, destruere quoque jam factum*. Et in leg. *Patre*, ff. de His qui sui, etc., verb. *Retinere*, declarat hoc principium procedere, quando impedimentum est ex parte causæ finalis; ego vero addo intelligendum esse de impedimento contrario, et tunc destrui quod factum est, quatenus est principium actus futuri et faciendi, in quo tale impedimentum invenitur. Denique confirmari hoc potest ex dictis supra de lege communi, cessare cessante causa per contrarietatem ad legem; nam privilegium est quædam lex, et tanto mutabilior quanto specialior, juxta legem *Ejus militis*, § 1, de Milit. test., ubi Gloss. id notat, verb. *Quocumque modo*, et ibi alii doctores, et Tiraq., d. tr., limit. 11, ad finem; ergo.

7. *Altera pars assertionis declaratur.*—*Cessationem causæ, tantum negative, non sufficere ut privilegium cesset, probatur, tum exemplis, tum ratione.*—Altera vero pars, scilicet, privilegium ex vera et subsistente causa legitime obtentum non amitti propter solum cessationem causæ negativam, declaratur primo exemplis: nam privilegium non

solvendi decimas datum monasterio propter indigentiam, non cessat, etiamsi monasterium jam non indigeat, sed aliunde habeat unde sufficienter ali possit. Item privilegium retinendi plura beneficia simul, quia neutrum sufficiebat ad sustentationem, non extinguitur etiamsi unum beneficium crescat, et fiat sufficiens ad congruam sustentationem. Item privilegium ad anticipandum tempus recitandi divinum officium, ultra commune jus datum alicui, propter nimiam occupationem alicujus muneris, non videtur cessare, etiamsi munus relinquat, nisi in ipso privilegio dicatur: *Quamdiu tale munus exercueris*, vel aliquid æquivalens. Item in religionibus sunt multa privilegia propter causas et rationes quæ revera, per temporum varietatem et morum mutationem, cessarunt, et nihilominus non censentur cessasse privilegia. Ratio vero est, quia tunc, licet ratio cessaverit, non est factum iniquum privilegium, quia usus ejus nec injustus aut perniciosus, nec illicitus factus est, ut supponitur; ergo non est cur privilegium censeatur statim eversum ac destructum. Et confirmatur etiam exemplo legis communis, quia non cessat obligatio ejus ex eo quod negative tantum cesset ratio ejus in particulari.

8. *Retorquetur argumentum.* — Sed contra hanc partem retorqueri potest utraque ratio. Nam imprimis, ut privilegium cesset, satis est quod conservatio privilegii fiat illicita propter mutationem vel cessationem causæ, licet usus privilegii, id est, actus ipse qui ex privilegio fieri solebat, per se non sit illicitus; sed ut privilegii conservatio sit illicita, satis est quod cesset ratio ejus negative, neque oportet ut in ipso usu orta sit aliqua malitia vel iniquitas distincta ab illa quæ resultat ex cessatione privilegii: ergo. Major patet, quia non est præsumendum principem facere aliquid illicitum; ergo neque quod conservet privilegium eo tempore quo facta est illicita ejus conservatio, sed potius præsumendum est a principio illud concessisse cum ea intentione, ut cesset quamprimum duratio ejus facta fuerit illicita. Minor autem probatur ex principio juris supra posito, *quod in aliquo eventu inchoari non posset licite, non potest in eodem subsistere, seu conservari.* Nam hoc eandem rationem veritatis habet in ipso privilegio, quam in usu ejus. Et fortius urget illud principium, prout habetur in lege prima, ff. de Condict. sine causa, et in lege *Nihil interest*, ff. de Nautico fœnor., scilicet, *paria*

esse a principio non habuisse causam, vel illam esse desiisse; quod ita recipitur a juristis, ut videre licet in Tiraq., dicto tractat., in principio n. 14; sed si a principio non fuisset illa causa, privilegii concessio fuisset illicita; nam supponimus esse causam finalem, et principalem, sine qua concedere privilegium juri derogans, iniquum esset, ut supra ostensum est: ergo similiter conservare privilegium, cessante illa causa, est iniquum. Et ita, in exemplis adductis, dicendum erit vel illas causas non fuisse principales fines, sed motivas, vel non fuisse adæquatas; vel si tales fuerunt, cessasse privilegia, quia perseverantia illorum facta est iniqua.

9. *Confirmatur exemplo.* — *Usus privilegii illicitus dupliciter.* — Declaratur et confirmatur exemplo dispensationis: nam si concessa sit ad usum habentem tractum successivum propter causam necessitatis tanquam principalem et adæquatam, cessante necessitate, cessat quoad actus residuos, etiamsi in illis non sit nova malitia. Patet in dispensatione non jejunandi pro tota quadragesima propter debilitatem virium, vel nimium laborem: nam si in medio quadragesimæ cesset necessitas, cessabit dispensatio quoad actus residuos, quia alias esset irrationabilis dispensatio; idemque dicendum erit in exemplo supra adducto de licentia non recitandi vel anticipandi Horas, si necessitas revera fuit causa adæquata, alias non est ad rem; ergo idem erit dicendum de privilegio, quia et dispensationem continet, et quoad hoc habet eandem rationem: unde obiter etiam aperitur æquivocatio quæ committi potest in superius dictis. Quando enim dicitur debere cessare causam privilegii, ita ut usus ejus redditus sit illicitus, dupliciter id intelligi potest. Primo, ut debeat reddi illicitus per se et ab intrinseco, ita ut sit contra justitiam, vel contra naturalem legem; et hoc quidem licet sufficiat ubi contigerit, falsum autem est esse necessarium, ut constat in exemplis adductis de dispensatione. Secundo, intelligi potest necessarium esse ut usus privilegii fiat illicitus, saltem contra jus positivum, et hoc quidem est verum, est tamen consequens ad cessationem dispensationis seu privilegii, non tamen est causa cessationis privilegii; et ideo propter illam rationem non recte dicitur tunc cessare causam privilegii contrarie, quia cessatio causæ, quæ supponitur ad cessationem privilegii, tantum est negativa. Assumptum declaratur in exemplo dispensationis: nam,

eo ipso quod cessat necessitas comedendi carnes, fit illicitus ille actus, non quia habeat intrinsecam malitiam, sed quia est prohibitus, cum antea non esset, quia jam cessavit dispensatio; ergo malitia actus non est causa cessationis dispensationis, sed ad illam consequitur; dispensatio autem ipsa, solum ex carentia negativa (ut sic dicam) et pura cessatione causæ, cessavit. Sic ergo erit in privilegio, quod vim habet ejusdem dispensationis. Quod si quis dicat etiam tunc cessare contrarie causam, quia facit illicitam conservationem privilegii, imprimis de nomine disputabit, et deinde non poterit distinguere negativam cessationem a contraria, nec declarare quando causa privilegii cesset tantum negative.

10. *Retorquetur argumentum a lege desumptum.* — Tandem retorqueo argumentum a lege desumptum. Nam lex communis in particulari non desinit obligare, cessante tantum negative causa ejus in illo particulari, quia non cessat tunc causa ejus adæquata etiam in illo particulari; at vero si finis legis cesset in universali et generaliter, etiamsi tantum negative cesset, lex cessare censetur, quia fit inutilis, et consequenter irrationabilis, etiamsi usus ejus aliam particularem malitiam habere non incipiat: ergo, cum proportionem loquendo, idem dicendum est de privilegio, cessante fine ejus negative. Probatur consequentia, quia privilegium est lex particularis, unde ita comparatur ad finem suum particularem, sicut lex universalis ad finem universalem, quia tam adæquatus est finis particularis legi particulari, sicut universalis universali legi; ergo.

11. *Defenditur prædicta regula.* — Fateor rem esse intricatam et perplexam, ut solent esse hæc res morales, quando generales regulæ tradendæ sunt, quæ vix possunt esse regulares, nedum infallibiles: dico nihilominus absolute veram esse regulam indicatam, ut privilegium cesset non satis esse causam ejus finalem negative cessare, etiam adæquate. Loquor autem nunc de causa finali more aliorum juristarum, id est, de illa quæ ita movit principem, ut fuerit unica, vel ita principalis, ut si illa non adfuisset, princeps non concederet privilegium, ut exponunt Pan., Deci., Cov., Tiraq., et alii, ut in lib. de Simon., c. 44, latius tractavi.

12. *Cessatio negativa non est sufficiens ut cesset privilegium.* — *Evasio.* — *Refellitur.* — Dico ergo cessationem hujus causæ mere ne-

gativam, non esse sufficientem causam ut cesset privilegium; et idem dico de dispensatione. Et confirmatur ac declaratur exemplo de dispensatione voti. Nam si concedatur feminæ dispensatio in voto castitatis propter morale periculum incontinentiæ, ita ut hæc sit causa expressa in indulto, et unica, et illa postea nubat, non obligabitur ad non petendum debitum, etiamsi pro certo supponamus, quoad hoc cessasse periculum incontinentiæ, quia sufficienter subventum est periculo incontinentiæ feminæ, si sit in statu in quo possit licite reddere, quia honestæ feminæ vix solent petere. Dices tunc non cessare omnino causam, sed tantum quoad aliquid. Sed hoc non satisfacit, tum quia eadem est proportio partis ad partem, quæ totius ad totum; tum etiam quia alias si tanta est dependentia a causa, ut licite dispensatio concederetur, debuit a principio ita intelligi, ut esset ad contrahendum matrimonium et ad reddendum, non vero ad petendum, quia respectu integræ dispensationis non erat adæquata causa: at hoc est inusitatum et nimis scrupulosum; ergo etiam interpretatio privilegii, subintellecta conditione, ut non duret, cessante causa tantum negative, est nimis dura et scrupulis plena, et ideo nec necessaria reputanda est ad licitam concessionem, nec consueta, aut præsumenda.

13. *Confirmatur prædicta doctrina exemplo dicto.* — Quod amplius corroboro urgendo idem exemplum; nam si in eo casu femina illa videtur in ea ætate, vel dispositione, in qua jam non timet periculum continentiæ, nihilominus iterum nubere potest licite; ergo non cessat dispensatio, cessante causa negative: ergo nec privilegium. Antecedens probatur, quia suppono in dispensatione non dici, ut semel vel pro una vice nubere possit, sed absolute, quod dispensatur in voto castitatis: ergo ex illius vi poterit iterum nubere; tum quia illæ diversæ formæ dispensandi, quæ solent esse in usu, ostendunt plus concedi per secundam quam per primam; tum quia verba indefinita æquivalent universali in his dispositionibus, ut supra ostendi, et ita illa dispensatio est absoluta et perpetua: tum denique quia alias non esset propria dispensatio voti, sed quasi suspensio. Ut si humanus creditor remittat debitori debitum simpliciter et absolute propter paupertatem ejus, licet hic veniat ad pinguiorem fortunam, non tenetur solvere, nec remissio retractatur propter cessationem causæ: si autem non abso-